

I. N. S. S. T.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
MEDICO-CHIRVRGICA

DE

HIRVDINIBVS,

*Quam*

Jussu & Autoritate Illustris Facultatis  
Medicæ in almâ Salanâ,

PRÆSIDE


RVDOLFO WILHELMO  
CRAVSIO,

Heredit. in Messingen / Philosoph. & Medic. Doct. Practic. & Chimiæ  
Profess. Publ. longè celeberrimo, Collegii Medici SENIORE  
gravissimo, & S. R. J. Academ. N. C. Collega primario,

PATRONO, PRÆCEPTORE, ET PROMOTORE SVO  
SVBMISSE DEVENERANDO,

PRO LICENTIA

Summos in arte Medicâ honores, Insignia, atque  
Privilegia Doctoralia, MORE MAIORVM legitimè impetrandi,  
publico examini sistit

IOHANNES LEOPOLDVS  Hamper/

Vratisl. Siles.

IN AVDITORIO MAIORI

*Horis ante- & pomeridianis*

Ad diem Junii. M. DC. XCV.

—  
IENÆ, Literis MVLLERIANIS.

40.

41



Augustæ Wratislaviensium  
Reipublicæ  
PATRIBVS CONSCRIPTIS,  
ILLVSTRI  
DNO. PRÆSIDI,

cæterisque

*Magnificis, Generosis, Maximè Strenuis, Nobilis-  
simis, Amplissimis, Consultissimis,*

SPLENDIDISSIMI  
COLLEGGII SENATORII  
MEMBRIS:

DNN. MÆCENATIBVS atque PATRONIS SVIS,  
*devoto animi cultu æternum devenerandis,*

Pro hæctenus in se collatis beneficiis gratum  
testaturus animum se suaque studia  
commendans

*Tenne hoc specimen Academicum*

D. D. & Consecrat

*Humillimus Client*

Johannes Leopoldus Ramper.



I. N. J.

PROOEMIUM.



Mirandum sanè, dari inter Medicos eruditos, qui contra, quàm fas est, in quolibet, cujuscunq̃ generis tandem is sit morbus, omnem *sanguinis missionem* penitus interdican. Videntur hi, sibi ipsis soli sapientes, optimâ ad illud demonstrandum instructos esse ratione; Ast fallacibus innixi fundamentis, fallacem quoq̃ vendunt fumum.

Summus manet & heroicus missioni sanguinis usus, & exinde sibi auxilia poscunt & habent varia morborum genera. Mansvescunt phrenitidis furores, Pleuritidis dolores demulcentur, tolluntur mensium suppressiones, onerosusq̃ plethoræ, multorum morborum fontis, status mitescit, quæ sufficiant ex millibus hîc nominasse.

Cum verò sanguinem deplendi, extrahendi & eliciendi modi sint diversi, atq̃ inter alias *δεαιρέσει* species, quæ sanguinis educationi inserviunt, HIRVDINES suum quoq̃ faciant officium; hæ verò laudentur ab his, culpentur ab illis, placuit eas in dissertatione hac nostra INAUGURALI in proscenium producere, horumq̃ animalculorum in curandis morbis lustrare effectus.

Sed precamur: Adstet nobis in hisce omnibus summum Numen, cunctaq̃ dirigat ad sui nominis gloriam sempiternam, ægrotantisq̃ proximi, & nostrum commodum.

A 2

CA:

CAPVT I.

De

*Hirudinis definitione, natura, & selectu.*



Um verborum enodatio plerumq; rem ipsam clariorem reddat, non inutilem laborem fore iudico HIRVDINIS etymologiam, paucissimis perscrutari.

Derivant nonnulli Hirudinis vocem ab *hærendo*, quasi dicas hærado, additâ ratione, quod sanguinem exsugendo cuti firmissimè adhæreat. Alii ab *irruendo* deducunt, quasi dicant irudo, cum calidi sanguinis avida, in corpus animale quasi irruat, ad illum exsugendum.

Græcis *βδέλλα* audit, *δπὸ τῆς βδέλλης*, quod *sugere*, mulgere denotat, *ὁ δὲν ἐξαιμολογῆν τὸ αἷμα*, quod emulgeat sanguinem. Optimè inde à Latinis vocari amant bestiolæ hæ *sangvisugæ*, voce tali, quæ naturæ ipsarum apprimè respondet. Nobis quoque Germanis dicuntur: *Blutsauger* / quibusdam *Egel* / vel *Jgel* / *Blutegel* / *Saugegel*.

Sumitur tamen vocabulum hirudinis quandoque *abusive*, pro *sanguinariis* & *tyrannicis* hominibus, qui bona subditorum ad se rapiunt, & quò plus sanguinis sugunt, eò plus stitiunt. Non minus *beluo insatiabilis* idem nomen gerit, unde Græcis *βδέλλολατρῶδες*, homines gulosi, tanquam hirudines epularum lautiorum nuncupantur: Accommodat se huic Salomonis locus, *Proverb. XXX. v. 15.* ubi legitur: *Sangvisugæ sunt duæ filiæ: Affer, Affer.* Sic & *libidinosa fœmina*, cuius cupido nullo modo exsatiari potest, *sangvisuga* audit, unde & ille Plautinus Juvenis *in Curcul.* queritur de suâ amica:

Quæ mihi misero amanti ebibit sanguinem.

Ita plebem miseram hirudinem ararii i. e. exhaustricem dicit *Cicer. lib. I. ad Attic. Epist. 16.* *Erasmus* homines nimium *sedulos*,

dulos, & quibusvis in rebus immodicos, tali voce notat, qui cum semel cæperint, non desistant, nisi defatigati.

Missis hisce nominalibus ad DEFINITIONEM ipsam transitus. Sunt scilicet HIRVDINES vermes aquatici oblongi, sine pedibus, in fluminibus & stagnis dulcioribus degentes, jumentorum ac hominum pedibus nudis adhærescendo sanguinem avidè exsugentes. GENVS constitui- mus *Vermem*, quia est insectum ἀποδον, in multas partes se- vertens ac torquens dum repit, more aliorum vermium. Cum præterea vivat, & lateat plerumque in fluminibus & stagnis cœnosis, & rivulis per paludosa fluentibus, quibus delectatur, ideo aquatilium insectorum numero & historiæ ab autoribus accenseri solet. Vid. *Ulyssis Aldrovandi l. 7. de insectis c. 11. p. 288.* Porro, quia singularum, quæ in usum chirurgicum, veniunt hirudinum corpora velut è circulis ordine inter se colligatis constant, horum opera quandoque in globum se- contrahunt, qui fabam vulgarem majorem in longitudine & latitudine repræsentat. Tam avidè sanguinem experunt hæc bestiola, ut statim, ac corpus hominis, vel bruti sentiant, te- naciter adhærentes non prius decidant, nisi vel arte, vel vi, quod tamen sæpe periculosum, removeantur, quam satiata fuerint, unde *Horatii* versus:

Non missura cutim, nisi plena cruoris hirudo.

Non immerabimur in recensenda generatione earum, cum dis- sertationem medicam, non physicam de illis conscribere mens sit. Quod *Thomas Mouferus in theatro insector. l. 2. c. 41. p. m. 323.* ubi originem earum describit, dicit, generari in stagnis potissimum, ubi jumenta aquari soleant; nam ab eorum pe- dibus terram sordesque ablutas in fundum decidere, ut & ex stercore ibidem subsidentiâ, vitali calore non destituto, ani- malia hæc itidem generari. Item quod *Plinius l. 9. c. 51.* hirudi- nis generationem faciat æquivocam, & veris tempore ex hu- more & limo generari dicat, ipsique cum aliis etiam *Schræde- rus Pharmacop. Med. Chim. l. 5. class. 4. n. 105. p. 887.* pollicem

A 3

preme-

premere videatur, cum dicit, generari ex putredine, id phycis inquirendum relinquimus. *Job. Heunius in tract. de hirud. usu & efficac. in medic. l. 1. c. 2. p. m. 20.* nondum satis compertum fuisse, inquit, an etiam ex ovis generentur? se vidisse hirudines, quas per hyemem in aqua asservare voluerit in loco tenebroso & humidiori, planè contabuisse, & in nigricantem mucum resolutas fuisse, indicio probabili, ex tali eas materia prognatas; sed non satis firma est hæc consequentia.

Nos, cum hæctenus explosa sit talis generatio, & multis argumentis demonstratum, omnia viventia generari ex semine, & ex ovo, de quo vid. *Magnif. Wedel. Patronus & Præceptor meus æternùm devenerandus, Patbol. medic. dogmat. sect. 2. e. 5. p. 235.* non videmus, cur quis eundem ortum denegare velit hirudinibus. Generantur quidem in ejusmodi aquis stagnantibus, item paludosis, limo &c. animalia hæc, & alia, sed ibi, ut in nido, occultè latitasse semina, ex quibus, non verò ex limo, producta sint, probabile est. Jam verò aliud est materia in quâ, aliud materia ex quâ.

Sunt verò hirudines non unius, sed, ut refert allegatus *Aldrovandus l. 5.* duorum generum, una marina, quæ in stagnis marinis vivit; altera, de quâ nunc est sermo, quæ in aquis dulcibus degit. Marina grandior est, & duriore cute; Aquarum verò quæ sunt dulcium, extensæ, vermem, seu muris caudam quasi repræsentant, perpetuoque sese contrahunt à caudâ caput versus; interdum verò vice versa, à capite versus caudam. Sed non omnes sunt sibi, quoad singula, similes; quædam enim etiam ex his (1) ratione *quantitatis*, quoad totum corpus, aliæ quoad solum caput majores sunt aliis; aliæ minores, & brevioris capitibus, harumque iterum aliæ sunt minores, idè quod juniores, aliæ majores, quia vetustiores: habuit *Magnif. Dn. Preses, Patronus & Præceptor meus æternùm colendus*, ante paucas septimanas aliquam, quæ vix pisum superabat. Tradit quoque *Franzius Histor. animal. part. 5. c. 9. p. 1023.* dari hirudines, minores, vix perceptibiles, adè, ut sensum visus effugiant, quas sæpè sitibundi cum aquis imbibere constet.

(2) Ra-



(2) Ratione *coloris*, aliæ sunt ruffæ, aliæ planè virides, aliæ nigrae, aliæ subvirides, lineis, seu striis per longitudinem subflavis aut ruffis distinctæ, in quibus puncta aliquot nigricant, & venter aliquomodo rubet. (3) Ratione *superficiæ*, aliæ sunt quodammodo lanuginosæ, aliæ non. (4) Ratione *loci*, quem inhabitant, aliæ degunt in aquis stagnantibus & paludibus, ut nigrae, subvirides; aliæ in purioribus & fluentibus, in quibus sunt albicantiores, perexiguæ, quales vel piscibus nonnunquam adhærent, ore utrinque lato in circulum, sed altero duplo latiori; aliæ in mari, & stagnis marinis reperiuntur, duriori cute præditæ, quàm palustres, hinc se contrahere non adeò possunt in globum ovalem, aut caudam tantum & caput proferunt, virus olent, adeoque ad usum noxiæ; vid. *Gesner. l. 4. de aquatil. cap. de hirud. p. m. 504. seqq.* (5.) Ratione *suae naturæ*, aliæ reperiuntur venenatæ, quales sunt lanuginosæ, magnæ, ruffæ, virides cum maculis nigris, ut & nigrae quaedam in foetentibus ac putridis lacubus altæ; aliæ minus venenatæ, quales subvirides, cum striis subflavis aut ruffis, quibus communiter utimur. (6) Ratione *regionum*, ubi recensetur, in locis orientalibus, & calidiori sub climate virulentiores plerumque esse, quàm in septentrionalibus. Plura vid. in *Heun. tract. cit. l. 1. c. 2. p. 21. seqq.* & apud laudat. *Ulysses Aldrovandum l. 6.*

*Rodericus à Castro de morb. mulierum l. 2. c. 3. p. 191.* breviter notas bonarum hirudinum ita tradit: si hirudines usurpantur, quæ mediocres, seligendæ, degentes in fluente nitidâ aquâ, non virides, pallidæ, neque pilosæ, sed rubicundæ, captæ nonnihil exprimuntur, ut, si quid habent veneni, evomant, tunc asserventur in vitreo vase aquâ nitidissimo pleno, addito saccharo, ea tamen aqua singulis septimanis mutetur &c. Vel, ut *Dn. D. Præses* mihi retulit, quæ in fluentibus puris aquis degunt, tenuiores sunt & teretes, quæ caput exile, dorsum ad viriditatem inclinans, maculis subflavis ad nigredinem vergentibus, & lineis flavis signatum, & ventrem subrubrum gerunt,

gerunt, & præterea quoad totum, flavedine quasi quadam superinducta gaudent, utpote quas in aqua puriori per aliquot dies detentas, nunquam venenosas deprehendit.

## CAPVT II.

De

### *Hirudinum Vsu.*

**L**ustratâ jam hirudinum naturâ & selectu, quem VS VM in Medicina ad morbos curandos præstent, perquirere operæ pretium erit.

Hirudinum usum in variis morbis salutarem deprehendisse antiquitatem, post celebrata præsidia universalia, adque hoc remedii genus, tanquam sacram anchoram, necessitate urgente, sæpè cum fructu confugisse, testatur *Heun. l. c. in præfat.* hanc secuta sunt posteriora secula, præcipuè cum in curatione reliquæ sanguinis extractiones nihil proficerent.

Et quamvis *Waleus in meth. med. tit. de hirud. p. m. 191.* & alii cum ipso, ut *Jüngken in Compend. chirurg. sect. 2. oper. 2. c. 21. p. 354.* earum usum non necessarium dicant, cum Venæsectionem pro universali sanguinis evacuatione, scarificationem verò pro particulari sufficientem censeant; illud tamen consideratione dignum est, quod quandoque iis in curatione carere non possimus; sed Venæsectione ac scarificatione frustra adhibitis, ad eas confugere sæpè necessitate cogamur; imprimis cum loca in corpore humano non omnia æque apta sint pro admissione Venæsectionis & scarificationis: id quod *Waleus* ipse tandem perpendens vidit, & hinc p. 193. hirudines applicari ibidem, ubicunq̃ue venam secare non possimus, ut in collo & fronte, concedit. Sic etiam non ubiq̃ue scarificare concessum est, in hujus ergò locum egregiè tunc hirudines substitui valent, de quo vid. *Actuar. Method. med. l. 3. c. 3. p. m. 91.* *Jul. Cæs. Claudin. de ingress. ad infirm. l. 2. c. 5. p. m. 152.* *Möllenbrocc. in tract. de varis seu artbrid. vag. scorbut.*

*scorbut. c. 9. p. m. 132.* Hirudines cucurbitulis commodiores, ipsaque Venæsectione tutiores summo cum successu in corporibus & debilioribus & robustis magis applicari posse, ait *Barbette Chirurg. part. 1. c. 17. p. 68.* Et quid tandem, si æger nec Venæsectionem, nec scarificationem admittere velit? nonnè, docente *Rolsinc. O. & M. consult. l. 3. consil. V.* hirudines loco istarum in usum trahi possunt, vid. & *Gesner. l. 4. de aquatil. cap. de hirud. p. m. 506.* Imprimis cum hirudines applicari gratia depletionis vel universæ, vel particularis possint, ut ait *D. Job. Theod. Schenckius Prof. olim hujus inclutæ Salanæ celeberrimus, Synopsis. instit. med. l. 5. p. 2. sect. 1. art. 3. p. 277. §. 31.* possunt ergò in jam dictis casibus, & si vires debiles alias evacuationes sanguinis non admittunt, sine periculo hirudines applicari, ut ex seqq. patebit. Legi de his meretur *Job. Baptist. Sylvaticus controvers. 88. p. 399.* & *Vidus Vidius l. 2. chirurg. c. 9. p. 29.*

Disfvadere eas Belgas tradit *Waleus, ob tria*, quæ ex ipsarum applicatione oriri dicunt, incommoda, quæ idem refert. *l. c. p. 191. seq. (1)* quod ulcuscula relinquunt sæpè maligna, id quod imprimis diebus canicularibus, dum Syrius ardet, facere soleant. Ad hoc verò respondeo; si hirudines bonæ notæ eligantur, legitime præparentur & applicentur, ut postea pluribus dicetur, maligna ulcuscula non relinquere. Et *Heunius l. c. c. 3.* de se ipso testatur, se eas aliquoties applicasse, nec post illarum decidentiam quicquam mali, aut virulentiaë sensisse, præter prurimum, qui paulo post spontè abierit, quod & quotidiana confirmat experientia. *Dn. D. Præses* sibi in collo, pone aures & in brachio hirudines aliquoties applicari curavit, semper cum felicissimo successu, sine omni nota cujusdam virulentiaë, prurimumque qui ibidem post delapsum hirudinum contigit, vix dignum censet memoratu, cum levissimus sit, nec diu duret. Si tamen ulcuscula talia diebus canicularibus timeantur, tunc temporis omitti possunt hirudines, aliis subrogatis. Incommodum (2) dicunt esse, quod pro venâ

B nervum

nervum sæpè adjacentem aculeo suo pungant. Respondetur . hunc metum non tollere rectam earundem applicationem. Optimè se habent notæ ad hunc Walæi locum in Auctore appositæ, rarò id observatum fuisse in locis venosis, cum ipsæ venas, non nervos, ob sangvinem, naturali quodam instinctu, petant: quin idem periculum potius esse incisionum, quæ cucurbitulis junguntur, si Chirurghi manus aberrarit, aut, quod pessimum, imperita sit. A vitio ergò applicantis, ad vitium applicandi N. V. C. (3) est, quod non sufficientem copiam exugant. Verùm huic contrariatur non solum locus *Galenus*, *lib. de hirud. revuls. scarif. cucurb. c. 1.* magnam interdum post earum affixionem suboriri hæmorrhagiam, ut interdum emplasticeis, & linteolis aceto madefactis sit opus; sed etiam quotidiana experientia. Imò nec salus semper quærenda in unâ hirudine; apponantur plures, si una non suffecerit; nam, ut rectè tradit *Vidius Vidius Chirurg. l. 2. c. 9. p. 30.* Numerus hirudinum sit major, aut minor, pro loco, ubi adhibentur, pro affectu, pro multitudine sangvinis majori vel minori: plures enim requiruntur, ubi locus latior, ubi affectus validior, ubi sangvis copiosior, pauciores si contra hæc habeant.

Nova hîc oritur quæstio: num solum sangvinem cutaneum adtrahant, an verò ex profundo corporis eundem etiam educant? Priorem sententiam defendunt *Galenus*, *Oribasius* Græci alii, *Actuar. M. M. l. 3. c. 3.* ait, hirudines sangvinem moderatius, qui est in ambitu corporis, cucurbitularum instar exugere, in quâ opinione etiam videtur esse supra laudatus *Sylvaticus l. c.* aliique plures. Posteriori opinioni calculum addunt *Avicennas*, & cæteri Arabes, statuuntque extractionem sangvinis ab hirudinibus factam, profundiorẽ esse extractione, quæ fit cum ventosis. Verùm certantes hîc conciliari poterunt, si consideretur τὸ πρῶτον, cui affigendæ veniunt. Ex vasis majoribus, colli, brachii, frontis, prope aures, aut extuberantium hæmorrhoidum venis si pendeant, àm copiosus profluit sangvis, ut quandoque adstringenti-  
bus

bus fisti debeat, & aliquando cachexia & hydrops subsecuta dicantur. Ast si iis partibus adhæreant, ubi non adeò patentès venæ, sed exiliores & subcutaneæ sunt, tunc cucurbitularum more sangvinem cutaneum attrahunt, vid. *Claudin. l. c. p. 150. 151.* Idem sentit *Barbette l. c. 69.* hirudines, inquit, sangvinem evacuant è partibus subcutaneis solùm, & capillaribus vasis, adeoque leviores morbos curant, si soli cuti applicentur; si verò majori alicui vasi imponantur, etiam ab interioribus partibus eum extrahunt, sicque internos, gravioresque morbos tollunt. Inde benè *Sennert. Epit. Instit. med. l. 5. part. 2. sect. 1. c. 16. p. 722.* monet, in applicatione earum videndum esse, an totius corporis evacuandi gratia, an verò ob affectum alicujus partis privatum eas adhibeamus, ut suis locis debitis applicentur. Consentit his omnibus *Rolfinc. O. & M. comment. l. 4. sect. 4. c. 10. p. 405.* qui ex *Joubert. Isagog. meth. therapeut. c. 3.* hirudines esse, inquit, præsidium convenientissimum, quippe quæ non solum sangvinem cutaneum, sed & interiorem è distantibus partibus; nec solum crassum moveant & limosum, sed etiam tenuiorem exugant sangvinem. Probat porrò ex intimis majoribus vasis sangvinem evocari (1.) quia tantus nonnunquam post earum applicationem sangvinis exoriatur fluxus, ut ægri animo linquant. (2.) Tribus exemplis, quæ ex *Gesner. l. c. de promptis*, quæ ibi *p. m. 508.* legi poterunt. Confirmat hæc etiam locus ex *D. Job. Theod. Schenkio supra adductus.* Poterunt igitur & Venæsectionis loco, & pro cucurbitulis adhiberi. Quomodo verò à cucurbitulis differant, vid. *Claudin. l. c. Heunius de hirud. usu. & effic. c. 4. p. m. 36.* ubi ponit differre ab iis (1) quod cucurbitulæ dolorem & cruciatum inferant, hirudines verò non. (2) quod cucurbitulæ Venæsectionis quidem vices suppleant, ast frequentiori numero debeant apponi, hirudines verò commodius id præstent, applicatione scilicet ad venas majores. (3) quod cucurbitulæ sangvinem promiscuè, prout est in corpore, imprimis cutaneum eliciant, hirudines verò sangvinem crassum & melancholicum natu-



ra, maximè, si vel hæmorrhoidalibus venis, aut aliis sangvini-  
nis feculenti emunctoriis applicentur. Ubi monendum exi-  
stimamus, quod hirudines cuti vel venis in corpore applicatæ,  
pro differentia loci & partium, nunc leviolem, nunc notabi-  
liorem excitent dolorem, venis verò hæmorrhoidalibus ap-  
plicatæ, inter fugendum sævisissimum, & vix subportabilem,  
aquam longiorem vi in carnem intrusam repræsentantem do-  
lorem inducant: Id quod expertum se mihi retulit *Dn. D. Præ-*  
*ses*, qui etiam observavit hirudines partibus muliebribus ap-  
plicatas, id quod Italis non aded rarum est, atrocissimos dolo-  
res excitasse.

Sed & hoc dubium sui exigit remotionem: *An hirudini-*  
*bus tanta sit efficacia, ut possint quoq; sanguinem crassum edis-*  
*cere?* *Hieron. Mercur.* inutilem hujus auxilii usum & pericu-  
losum esse putat, quia vulnus inflictum ab hirudinibus usque  
adeo angustum sit, ut solum tenuior pars exire possit, relicta  
crassiore, quæ totius mali fomes est. In eandem sententiam de-  
scendit *Job. Bapt. Montan. in consult. Consil. 32. & 33.* cum ta-  
men *Consil. 24.* antecedenti, in melancholica affectione, appa-  
rentibus hæmorrhoidibus, sangvisugas optimas dicat. At,  
ne diutius in his moras nequam, dicimus, sufficientem vul-  
neris fieri hiatus, ut non saltim tenuior pars, verum quoque  
& crassior sangvis egredi possit. Assentientes habemus plurimos  
supra laudatos auctores, & ante laudatus *D. Job. Theod. Schenk.*  
*in hist. seri sangv. c. ult. p. 80. §. 27.* inter seri crassitiam & coag-  
mentationem caseosam, & penè fibrosam incidentia & resolu-  
ventia commendat quoque hirudines, quod similem commi-  
nuendi vim habeant, sanguinemque crassum melancholicum  
exugant.

Ex his igitur omnibus satis liquet, hirudines adhiberi  
posse, ad attrahendum & extrahendum sanguinem, quanti-  
tate, qualitate, & motu peccantem, imprimis post universalia  
celebrata præsidia, quod notandum, & quandoque, cum plu-  
rima alia non juverint, ubi ad eas tanquam ad sacram ancho-  
ram

ram

tam confugimus, docente *Rolsinc. O. & M. comment. l. 4. sect. 4. c. 10.* nec non cum vires admodum sunt debiles, & ægræ sunt *αἰμὴ φοβῆται. Gesner. l. c. p. 506.* habet, hirudinum usum non tam ad nimium in sanis, quam vitiatum in neutris, vel ægrotis sangvinem extrahendum admittendum esse.

Ratione *loci*, possunt hirudines affigi culvis corporis parti carnosæ loco cucurbitularum, & venis magnis pro Venæsectione, venis nempe brachii, manuum, pedum, colli, aurium, narium, frontis, capitis, dorsi, femorum, pudendorum &c. in utroque sexu. Videndum verò, in quâ parte sit morbus, in superficiene, an altius radices posuerit, & ut cum cautione necessaria adplicentur.

Ut vero ad earundem usum specialem descendamus, competit, inquit *Franciscus Peccettus, Chirurg. l. 6. c. 15. pag. 1759.* hirudinum applicatio cutaneis morbis, sicuti in scabiæ, in vitiligine, in impetigine, in pane nasi, & faciei rubore, in elephantiorum tuberculis, & his similibus, in hæmorrhoidibus aperiendis, & in evacuatione, revulsione, ac derivatione faciendâ.

*Specialiorem* usum ut assignemus, notandum, hirudines non minimum auxilium afferre in *morbis supremi ventris*, capitis nimirum, ubi, præmissis præmittendis, applicari poterunt.

Sic in *intemperie capitis calida*, in molestis *capitis doloribus*, à sanguine fervidiore & bilioso originem ducentibus, non sine ægrotorum solatio eas adhibere commodum erit. *Hennius l. c. l. 1. c. 5. p. m. 52.* testatur, nonnullos in hoc morbo, ad venas in futura coronali, abrasis capillis, & loco confricato, apparentes, cum successu adhibere, & addit, se aliquoties periculum in gravissimis hemicraniis fecisse, antegressâque purgatione & Venæsectione, hirudines tres, quatuor, vel plures temporibus applicasse præsentaneo auxilio. Circa aures hirudinum applicationem in dolore capitis profuisse nonnunquam notat *Doleus in Encyclop. med. l. 1. c. 1. p. m. 22.* Sangvinem è venis sedilibus per hirudines detrahere in cephalalgia à sanguine fervidiore & turgescente, membrana distendente, extra



paroxysmum interdum expedire *Willis* putat, *Patbol. cap. de cephalalg. p. m. 159.* addit rationem, ut sanguis fortè ebulliens, deorsum, versus locum istum, quò sæpè spontè tendit, sollicitetur. Idem cum *Willisio* facit *Forestus Observ. med. l. 9. observ. 13. p. m. 269.* adjungens simul venas frontales aut circa aures. Imò ad efficiendum ut sanguis effluat in consuetis, multum sanguinis habentibus, pinnis; narium affigi ait. Idem *Ibid. observ. 5. in schol. p. 259.* in vehementioribus capitis doloribus, indicis plenitudinis apparentibus, si nec alvi lenitio, nec V.S. profuerit, dolore non cessante, quosdam venas secare ex naribus, fronte, & ad aures hirudines apponere. His optimè consentit *River. in Prax. l. 1. c. 16.* Vidit in capitis doloribus 12. hirudinibus circulariter temporum regioni admotis, extracto multo crasso sanguine, ægros liberatos *Zacutus, hist. princ. l. 1.* Alia vid. *l. 1. prax. med. mirab. observ. 7. 8. & 10.* In dolore capitis pertinacissimo, ubi arteria aperienda, tutius eam per sanguisugas, quàm ferrum aperiiri, rationi & experientia consonum esse ait *Höferus in Hercul. medico, l. 1. c. 3. p. 26.*

*In Hemicrania* inveterata *Forest. l. 9. observ. med. obs. 60. in Schol.* Præceptotem suum, *Benedictum Faventinum*, loco aperturæ venarum post aures, hirudines intra nares admovisse, cum cautione tamen, ne nares intrarent: adjungit vero *Forestus*, melius ipsum fecisse, si in sede hæmorrhoides, admotis hirudinibus aperuisset. Nec hoc approbat *Sennert. l. 1. Prax. part. 1. c. 8.* non concedens, ut venæ narium hirudinibus aperiantur, ita ut immittantur iis, cum faciliè penitus irreperere, & pertinacius hæere queant, ut non faciliè extrahi, ac magnæ hæmorrhagiæ causæ esse possint: cujus rei exemplum annotavit *Herc. Saxon. l. 1. pract. c. 2.* de quodam *Patritio Veneto*, cui hirudo naribus apposita, ascendit in caput, ita, ut nullo modo, vel extrahi, vel necari potuerit, unde æger nimiam sanguinis effusione extinctus. Addi posset etiam hoc incommodum, quod in tali loco vulnus, ut in aliis, non commodè deligari possit; sed quomodo hæc pericula præcavenda sint, inferius dicemus.

In



*In Epilepsia*, quando causa mali in certa quadam parte hæret, ad præservationem præter alia & hirudines commendantur. Non minus in hoc affectu à veteribus sangvisugis hæmorrhoides apertæ fuerunt, item fronti, aut aliis convenientibus locis applicatæ, quibus materia peccans exhausta fuit. *Zacut. Lusit. l. 1. prax. admir. observ. 26.* refert, epilepsiam sævam post partum hirudinibus internæ uteri parti applicatis curatam. Et *observ. 28.* gravidam nonimestrem ex suppressione hæmorrhoidum epilepticam, sectis in talo venis, & hirudinibus ano applicatis curatam fuisse.

Non minorem præstabunt operam in *Phrenitide*, si venis frontis applicentur. Et juxta *Willis. Tom. 2. part. 2. c. 10. p. 267.* quandoque hic expediet, si ex aliis locis per hirudines nonnunquam sangvis detrahatur. *River. Prax. l. 1. c. 9. p. m. 222.* ait: si febre continua laboranti, phrenitis supervenerit, non minoris inter alia esse efficaciz, hæmorrhoidum per hirudines apertionem.

*In Melancholia*, si hirudines venis hæmorrhoidalibus apponantur, egregiè proderunt, vid. *Gokelius Consil. 42. pag. 446.* Jubeat *Sennert. l. 1. Prax. part. 2. c. 12.* in melancholia biliosa, si æger etiam crurum venas amplas habeat, quæ varicibus similes sint, hirudines iis affigere. Poterunt, si cui placuerit, venis cutaneis in occipitio vel synapite, de rasio capillis, & parti fricatæ adhiberi, ut & hoc modo sangvis fixior & acidior extrahatur. *River. Prax. l. 12. c. 5. pag. m. 401.* in melancholia hypochondriaca post adhibitum balneum hæmorrhoidum partibus eminentioribus hirudines duas, aut tres affigit; & extrahit sangvinis uncias quinque vel sex. In *Melancholia hypochondriaca* primo quoque die hæmorrhoides, tribus vel quatuor hirudinibus, ut decet, purgatis appositis aperiendas, ut unciz circiter quinque vel sex sangvinis exsugantur, aut exstillent, & hoc post aliquot menses reiterandum esse svadet *Reinerus Solenander Consil. medicin. sect. 3. c. 20. pag. 273.*



*In Mania* continua, circa morbi initia, nonnunquam vasa hæmorrhoidalia, adsvetis puta, hirudinum suctu aperire juvabit. In intermittente verò pro præservatione instantibus æquinoctiis sanguis è brachio mittatur, & dein post 7. vel 8. dies hæmorrhoides hirudinibus aperiantur. Observatum quoque fuit, multis profuisse post Venæsectionem hirudines apposuisse temporibus & post aures, Sic Alexander Benedictus infano cuidam primò ad ani venas, postea verò venis ad aures hirudines feliciter admovit, vid. *Heun. l. c. l. i. c. 5.*

*In Lethargo* post aures ad exhauriendum sanguinem collocantur. Si malum ab hæmorrhoidum suppressione ortum habeat, cum commodo hirudines iis affiguntur, quod remedii genus ab imminente lethargo præservasse, & jam isto morbo correptos ab eo liberasse observatum fuit. Vidus Vidius humorem avertere hirudines ait. Nonnullos tamen è recentioribus de hirudinibus corpori in hoc casu admotis, agnoscere celeritatem, mortis, tradit *Conr. Viêt. Schneiderus lib. de morbis capitis tractat. de lethargo p. 408.* idque plurium autorum testimoniis confirmat.

*In comate vigili*, ubi sanguis sulphure narcotico abundante, per poros & meatus, spirituum ambulacra, est suffusus, ut materies illa cerebro impacta tollatur, expediet è fronte, aut temporibus per hirudines sanguinem in modica quantitate de- trahere.

*In vertigine*, Alexander Benedictus eas post aures collocare docet, & hoc remedio omnem ferè morbi causam levare asserit. Commodum & post cætera præstarent, si lobis aurium apponerentur. In vertigine inveterata nonnunquam vasa hæmorrhoidalia per hirudines aperiendas esse; svadet *Willis. tom. 2. part. 2. Patbol. c. 7. p. 7.* Id vero usum suum exhibebit, si vitium vel ab hypochondriis, vel liene ortum traxerit.

*In apoplexia*, à sanguine aut restitante, aut abundante in canalibus suis, adeoq; tendente, & poros aliquomodo comprimente,

mente, ita ut spiritus animales transitum suum, ad motum efficiendum, ritè peragere non possint, si reliqua nil juverint, inter alia & hirudines temporibus, aut post aures applicatæ, auxilio erunt. Sic & veteres sangvisugas scapulis, venis jugularibus, lumbis &c. nec non hæmorrhoidibus applicarunt.

*In cerebri sphaeracelo*, ab inflammatione substantiæ cerebri, à sanguine admodum bilioso in cerebri corpus & partes irruente, suscitata, inter alia & hirudines pone aures, & hæmorrhoidibus applicat *River. Prax. l. 1. c. 12. p. m. 225.*

*In oculorum affectibus* eas commendat *Hollerius l. 1. de morb. inter c. 19. Forest. l. 11. observ. 2. p. m. 6. 7. Ludovic. Mercat. l. 1. de V. S. c. 4.* valde eas laudat derivationis loco in hisce affectibus, itemque capitis, si venulis nasi, angulis oculorum, venis frontis, occipitis, vel aurium, pro re nata, affigantur. In pertinacissima *ophthalmia* omnibus frustra adhibitis, tandem ex hirudinibus pone aures applicatis exoptatissimum sensit levamen *Dn. D. Præses.* In oculi contusione, accedente insigni tumore & inflammatione &c. laudat *Rolsinc. O. & M. consult. l. 3. consil. V.* In fici cancroso oculi dextri orbitæ, cum gravissimo capitis dolore, imò & febre &c. post purgationem, & sectionem cephalicæ, paucis post diebus admovit hirudines venis jugularibus sub aurem ad idem latus *Hildan. Observ. chirurg. cent. 1. observ. 1.* & quidem cum summo fructu. Possent & ad hæmorrhoides ano affigi, si videbitur medico, idque urgente necessitate. In gutta serena in juvenibus, si vitium in abundantia sanguinis, & obstructio à materia collecta circa nervos opticos sit, ut spiritus animales ritè ad oculum irfluere non possint, mittere sanguinem, & post illud temporibus hirudines, aut post aures admovere jubet *River. Prax. l. 2. c. 1. p. m. 239.*

*In hæmorrhagia narium*, ad revellendum sanguinem, inter alia & hirudines post aures adhibendæ.

*In inflammatione auris* ad revulsionem ano affixit hirudines *River. Prax. l. 2. c. 3.*

C

In

In doloribus & rheumatismis dentium nonnulli ad gingivas collocant, vid. *Ephem. Germ. Dec. 2. an. 4. obs. 19. pag. 51.* Sed cum molestum sit hoc remedii genus, ob loci situm, ibi adhibere, commodius forsan fuerit, sub mento eas apponere.

In angina deplorata, hirudines interdum pro materiae conjunctae evacuatione applicantur post aures, etiam collo, & venis jugularibus. Periculosissimam anginae speciem, caninam dictam, quod cum oris apertione & linguae exertione canibus familiaris sit, hirudinum sub lingua applicatione sublevari testatur *Rolfinc. O. & M. comment. l. 4. sect. 4. c. 11.*

In morbis etiam *medii ventris* hirudines operam monstrabunt suam. In pleuritide, peripneumonia, palpitatione cordis, praeter caetera, illae quoque brachiis, vel alii loco affixae remedio erunt.

Sic in *Pleuritide*, si vena non appareat, in pueris potissimum, si morbus valde urgeat, & puer sit pleno corporis habitu, ac sanguine redundet, corpusque non sit nimium molle, circa annum aetatis IX. vel X. hirudines venis apponere jubet *Sennert. Prax. l. 2. part. 2. c. 16. p. m. 239.* Imò *Cardanus l. 2. contrad. med. tract. 3. contr. 16.* non veretur infantibus, dumtaxat trium annorum illas super venas apparentes applicare, & nullum Mediolani ex his obiisse, multorum testimoniis confirmat.

In *palpitatione cordis* suris affixas revellere à cordis regione frequenti experimento comprobatur *Mercat. l. 1. indicat. c. 4.* ob quem usum etiam cordi palpitanti plures apponere salubre judicat *Zacut. l. 1. princ. hist. med. observ. 4.*

In apertione vasorum pulmonis, ut & in *haemoptysi*, si haemorrhoides antea consuetè fluxerint, nunc admotis hirudinibus aperiri poterunt, vid. *Ephem. Germ. l. c.*

Si *cardialgia* fiat ab ichore sanguinis, qui solitus erat per haemorrhoides expurgari, indeque febris cum *cardialgia* ex hoc ichore oriatur, non erit inconveniens venas podicis aperire, per illas enim sanguis eductus, vires non adeo confringit, ait *Jul. Cas. Claudin. respons. medicin. 9. p. 107.* In.

In febre maligna, in principio, si hæmorrhoidibus ad-  
suetus sit æger, quoniam sine magna virium resolutione san-  
guinem evacuant. In febre quartana intermittente si hæmor-  
rhoides adsvetis subsistant, proritandæ sunt affixis hirudinibus.

Opitulantur insuper quoque morbis *infimi ventris*, ubi pri-  
mario ad apertionem vasorum *hæmorrhoidalium* conducunt,  
ut ita teste *Capivaccio l. 6. de febb.* hirudines sint materia re-  
medii specifici ac determinati ad venas sedis aperiendas. Sed  
movent autores quæstionem: an, si hæmorrhoides aperire,  
necessitas postulet, tutius sit illud per hirudines, an scalpellum  
peragere? *Zacut. Lusit. l. 3. prax. admir. observ. 59.* hirudines  
ceu tutiores commendat ad hæmorrhoides cæcas, dolorifi-  
cas, tumentes & inflammatas, quæ minimè sacrificandæ sint,  
ne sequantur immedicabilia & fistulosa ulcera. Contra *A-*  
*lexander Massarias in oper. de morb. curand. 5 lib. de scopo*  
*mittend. sangv.* ferro magis, quàm hirudinibus has venas ape-  
riendas esse jubet, & cum eo alii, vid. *Heun. l. c. l. l. c. 4. p. m. 48.*  
*49. seqq.*

Sed & hæ, & illud, pro re nata adhiberi queunt, expe-  
rientia enim comprobavit, hirudines rite tractatas in aperien-  
dis vasis sedilibus nullam attulisse noxam. Et *Thomas Mi-*  
*nadous med. disput. 3. de in jucunditate in curationibus devitanda*  
*p. 49.* ubi contra antiquorum sententiam scarificationes tan-  
quam barbarum, dolorosum ac maximè molestum remedium  
rejecit, hirudines hæmorrhoidibus applicandas ut maximope-  
re remedium extollit, non in illis tantum, qui eas adnatas  
habent, verum & in illis, qui eas nunquam experti sunt. Pote-  
runt igitur his casibus affigi, ubi alias hæmorrhoides reserare,  
commodum erit, e. g. præter jam supra citatos, in *nepbritide*,  
præmissa tamen sanguinis missione è brachio, postea è talo,  
docente *Fontan. curat. 5 respons. l. 1. p. m. 117.* In *tenesmo*, si  
adsit inflammatio aut multitudo sanguinis, & inflammatio post  
Venæsectionem perseveret, ut etiam stranguriam efficiat, ha-  
rum venarum apertio per hirudines proderit. Porro, in sup-

pressionem mensium, in furore uterino, si sanguis versus eas vergere videatur, item in passione hysterica extra paroxysmum. In mictu cruento, malo arthritico, dolore ischiatico &c.

In *Dysenteria* hirudines ex usu insuper erunt teste *Mercato l. 1. de V.S. recte administr. c. 4.* qui eadem laborantibus pueris brachiis adhibuit, grandioribus item in manibus juxta *salvatellam*.

In morboſa *ſuppreſſione menſium*, ſæpius foeminae priſtinae ſanitati redditæ fuerunt, ſi vel caſu vel voluntariò lacus & ſtagna ingreſſæ ſunt, ac hirudinum ſuctum ad pedes adhibuere.

In *inflammatione uteri & vaginae* nimia, aliquoties cum felici ſucceſſu applicatas fuiſſe hirudines in extremitate vulvæ, teſtatur *Ettmüller. in Schræd. dilucidat. Zoolog. tit. de hirud. p. m. 202.*

Quod reliquum, etiam *extimarum partium affectibus* ſuccurrere aptæ ſunt.

In *Iſchiatico dolore* venæſectione, aliisque remediis fruſtrâ adhibitis, hirudinibus, vaſis iſchiaticis applicatis malum ceſſaſſe obſervavit *Dn. D. Preſes*. Sic in omni *arthritico dolore*, manus, pedes, coxas, artusve infeſtante, fidiffimo experimento confirmatum eſſe ſcribit *Zacutus*, ſi hirudines ſuper partem affectam imponantur. Inde *Q. Serenus* canit:

Sunt quibus appoſitâ ſiccatur hirudine ſanguis.

*Mouſer. in theatr. in ſect. l. 2. c. 41. p. m. 324.* Nequeo omittere, inquit, Nobilem Ricardum Caundiffum, Thomæ illius inclyti *Cosmo-nautæ* patrum doctiffimum, quem podagra multis annis excruciatum, menſtrua hæmorrhoidum inferiorum per hirudines apertio perfectè curavit, adeo, ut nunc magnâ totius aulae admiratione ſanus, ſolusque, ſine adminiculo incedat, & valentulus, doloreque vacuus ſenium perferat. Magnis, in ſequentibus, verbis has hirudines laudat, & auctoritatem Veneti cujuſdam Godofredi à Cenami, amicitia ſibi juncti, citat, qui dixit, ſe vidiffè arthriticum à doloribus ſuis ſecurum multos annos vixiffè, admotâ hirudine parti dolenti.

lenti. Sic & River. Prax. l. 16. e. 1. p. m. 493. ait, in arthritide inter derivantia remedia locum habere hirudines parti dolenti admotas, post sufficienter evacuatum corpus: tunc enim valdè prodesse, præsertim cum venæ in parte affectâ distentæ, & sanguine turgidæ appareant. Wolff. Gabelchoverus Cent. 4. curat. & observ. medic. 32. p. 63. non abs re omnibus articulis laborantibus, hirudines hæmorrhoidibus applicari posse ait, & pergit: quemadmodum hoc tempore in amplissimâ imperiali civitate Augustâ Vindelicorum magnâ cum utilitate id fieri, à prudentissimis ejus loci medicis intelligo. Hæ enim humores in articulos à toto corpore irruentes, tantâ efficacia revelunt, ut ipsos dolores illicò, & tanquam incantamento demulceant, atque compescant: taceo, quod hoc fiat absque ulla molestia & virium jacturâ.

Ad tollendos rubores faciei alii sangvisugas apponunt circa nares & aures ab utraq; parte.

In tinea capitis, impositis ad locum affectum hirudinibus, usus fuit magno cum emolumento Rhafes. Sic in abscessibus, curis fœditatibus malignis, tumoribus, vulneribus, moribus virulentis, cum felici successu adhiberi, testis est Zacut. hist. red. princ. l. 1. in paraphras. hist. 4. Hildan. observ. chirurg. cent. 4.

In curatione gangræna Gesner l. c. p. m. 508. consilium Job. Vignis citata, cum locus ad nigredinem tendat, scarificationibus profundè scarificandum, cum applicatione sangvisugarum in circuitu corruptionis gangrænosæ.

Avicennas eas carbunculis ipsis, vel bubonibus, cum miraculo affigere solitus fuit, & hoc remedii genus commendat Rolandus Capellanus, Medicus Parmensis, tractatu suo de peste. Vidus Vidius l. c. in gangræna, lepra, & carbunculo eas commendat in circuitu, secta prius cute loci vitiati, ut pravum sanguinem exhauriant.

Sacro igni, mulieris melancholicæ, crus exedenti, optimè profuit sangvisuga, referente Tulp. observ. med. l. 4. c. 14. p. m. 302.



Tandem, non solum vivas nobis, sed & mortuas in usum commendant: *Plinius l. 32. c. 7.* capillum denigrare sangvisugas, ait, quæ in nigro vino, diebus sexaginta computruere. *Moufet. l. c. p. m. 325.* docet: alios in aceti sextariis duobus, sangvisugarum sextarium in vase plumbeo putrescere jubere totidem diebus, mox illini in sole. Addit: Sornatium tantam huic medicamento vim adscribere, ut nisi oleum ore contineant, quicapillos tingant, dentes quoque eorum denigrari. Facit idem *Moufet.* earum cinerem ex aceto illitum in psilothrum. Alia remedia ex mortuis confecta. vid. in *Heun. l. c. l. 2.*

### CAPVT III.

De

#### *Legitimo hirudines applicandi modo.*

**C**um medicamenta, & quæ assumuntur, & quæ applicantur, in manu imperiti sint, instar gladii in manu furiosi; optimumque remedium, non ritè adhibitum, in pessimum degenerare possit venenum, necessarium erit, lustratis jam hirudinum qualitatibus & usu, indagare, quo modo genuino tractandæ, & cum commodo adhibendæ sint.

Absolvemus, ut puto, hæc omnia optimè, si hodiernam observaverimus methodum, nimirum considerando applicationem antecedentia, ipsam applicationem, & applicationem consequentia.

*Antecedentia* quod spectat, licitum nobis sit, pauca de captura earum & electione dicere, postea de earum præparatione. Capi possunt à vere usque ad autumnum, udo, calidoque cælo, cum tunc plerumque calidis aquis innatent; aut cui libet has capere, permeet fluvium nudis pedibus, ubi statim iis adhærebunt, secum vero sal habeat, ut illicò, ac adhærent, illo aspergantur, quò decidant.

De selectu hirudinum supra *cap. i.* quædam tradidimus, ut ergo breviter saltem hîc quædam repetamus, cavendæ sunt illæ, quæ magna habent capita, virides sunt, nigre splendentes,

&c



& nitedularum more micantes, ruffæ item, & lineas cæruleas vel cineritias, aut lanuginem in dorso habentes, nec non quæ cuidam serpentum generi similes sunt. Abstinentum porrò ab iis, quæ degunt in aquis putridis cœnosisque. Cum enim hæ ipsæ virus quoddam habeant, dolorem atrocissimum, præter solitum, in parte cui adhærent, excitent, maligna ulcera, syncopem, febrim, & alia atrocissima mala post se relinquunt, spernuntur. Eligendæ contrà eæ, quæ in aquis puris & fluvialibus vivunt, teretes, seu longæ sunt & tenues, parvis capitibus, caudâque tenui præditæ: colore subvirides ex nigro, striis per longitudinem ruffis, in dorso maculas ex luteo nigricantes gerentes, ventre rubello, ceu superius diximus.

Has itaque captas, imponimus aquæ limpide & puræ, ut mucilaginem suam & malignitatem deponant, & limoso terrestrique nutrimento privatae, eò avidiores fugant. Alii priusquam id faciant, strictis velut digitis eas comprimunt, & succum in iis contentum nigerrimum emulgent quasi, donec quod illorum ventribus inest, effluxerit. Hænnius putat, post capturam si exprimantur, & in tepidâ aquâ spongiâ à sordibus depurentur, sine ulteriori apparatu, innoxias esse.

Si animus sit ad aliquot menses eas asservare, (quamvis recenter captæ melius fugant,) quotidie aqua mutetur, & pauxillo lactis, vel sanguinis agni, pulli, aut alterius animalis, vel saccharo quoque nutriantur. Observavit *Dn. D. Præses*, eas in aqua ex fontibus, utpote frigidiori, non tam benè diu conservari posse, quàm in eâ, quæ ex rivulis hauritur puris. Præterea aliquoties notavit, quod si diu servantur in aquis, & fiant maiores, sugere recusent, forsan quod nimis debiles evaserint. Si in usum trahi volunt, benè prius deliberandum medico, in quo morbo eas applicare velit, num nullo alio citiori vel jucundiori auxilio succurrere possit, & quæ sunt alia; non enim temerario ausu adhibendæ: præterea qualem sanguinem extrahere velit; num universalia præsidia jam adhibita fuerint; quibus locis applicare velit, & cui subjecto, in prægnantibus enim ferè semper brachiis applicantur. Cum

Cum igitur è re visum fuerit apponere eas, videndum quoq; qua quantitate sanguis evacuandus, ut si una hirudo non suffecerit, plures dein præparatas in promptu habeamus. Hirudines ita dicto modo præparatæ, paulo ante applicationem, ex aquis sumi poterunt, & ad usum in capsula puriori asservari, ut eò avidiores ad exsugendum reddantur.

Quoad locum, cui hirudines applicari possunt, nullus ferè est in corpore, qui non idoneus sit; ut vero brevitati studeamus, lubet *Vidi Vidi* huc apponere verba, quæ leguntur *l. c. p. 29.* Ubi cucurbitulas affigere non licet, veluti cum timeatur sectio, aut cum pars gibba est, ut juxta talos: aut cum parva, ut in labiis, gingivis, naso, hirudines imponuntur &c. Dantur & ad exinaniendam plenitudinem: dantur ad avertendum, ac derivandum humorem, qui ad affectum locum concurrit: magis autem extrahunt sanguinem ex profundis partibus quàm cucurbitulæ, ad quod potissimum faciunt, cum admoventur ad venas illas, quæ proximè derivantur ab internis, ad eas, quæ juxta anum sanguinem fundere consueverunt, sic enim derivant ab utero & partibus genitalibus, sic etiam avertunt à capite id, quod sursum à visceribus ferebatur. Adde quod cum adhibentur ad crura, vel sub poplite, mulieri menses citant. Aliorum locorum passim & sparsim in antecedentibus mentione fecimus. Loco itaque electo cui adhærere debent, is ab omni sorditie abstergendus, imprimis à pingvi & oleoso mucosudore, observatum enim fuit, pingvia illis esse adversa, hinc non benè subjectis obesis adhærere, possunt igitur partes illæ benè mundari & fricari aquâ, in quâ nitrum solutum fuit. Quemadmodum etiam ubi humores acres, salsi & acidi abundant, non promptè se applicant, id quod observatum fuit aliquoties in iis, qui melancholici sunt temperamenti. Insuper si in occipite, & collo applicari debent, aut aliis locis, ubi pili sunt, prius abrâdi debent: verbo, locus ita præparari debet, ut hirudines alliciat, delectet, aut certè non fuget. Foveatur locus spongiâ aquæ calidæ immersâ, venæ verò ani *decoct. cha-*

*mom.*

*mon. malv. verbasca.* aut aliis emollientibus. Nonnulli jubent locum nitro fricare, aut argillâ humidâ, aut luto inungere & fovere, propter consuetudinem animalium, quæ in luto degunt.

His ita præmissis, ipsam applicationis *εγχειρησιον* adjungemus. Scilicet, hirudines digitis anterioribus linteo mundo obvolutis molliter cōprehendantur, nō nudâ manu contrectentur, ne ex fastidio iracundæ adhærere recusent. Observavit enim *Dn. D. Præses*, hirudines sæpe nudis adplicantis digitis facilius adhærere, quàm in ægro ipsis dicato loco, forsan, quod dulciorem in applicante sentiant sanguinem, & licet primo intuitu vix dignoscatur, quodnam sit os, vel cauda, tamen statim caput exeunt, quasi locū quærentes cui adhærere velint, & sic electo probè se applicant loco. Nonnulli eas arundini, vel cannæ fistulosæ, aut vitro oblongo immittunt, ut caput solum promineat, & sic affigunt. Verùm cum hic modus operosior sit, & sæpè non procedat, ob hirudinum lubricitatem, corporumq; earum nunc graciliorem, nunc crassiorem extensionem, prior modus commodior erit. Si tamen partibus genitalibus mulierum, item naso, auribus, & circa oculos applicari debent, ne facilè introrepant, & noxam atrocem excitent, aut, quod quandoque fit, priorem locum relinquunt, & alii, cui periculum induceretur, se applicent, cucurbitulæ aut capsulæ perforatæ indi, & parti applicari possunt.

Admotæ cuti quandoque statim adhærent, quamvis non tam promptè ut in aquis, ubi degunt, ac mordere incipiunt, cum, pro diversitate loci, vel levi, vel sensibiliore dolore, nec tamen diu durante. Si verò eveniat, ut adhærere nolint, illini poterit locus pauxillo sanguinis pulli columbini vel alius, aut tepido lacte; imò si placuerit acu pungi, ut exeat sanguis, aut ungvibus scalpi, aut lanceola vulnerari, facilius adhærebunt; alliciuntur enim valdè sanguinem gustantes. Cum ano applicatæ hauriant sanguinem, istum verò attrahere relinquunt, aut attracto sanguine citò pereant, lethale signum esse citat *Estmüller. Instit. med. semiat. c. 4. §. 1.* certum tamen esse, non dixerim. D Viuen.



Videndum porrò an ignavius trahant, si fiat, caudæ illarum forfice præscindendæ, sic enim avidius & plus sugent, cum assumptum posteriori sui parte emittant sanguinem. Debet autem, bene monente Heunio, cauda abscindi cum jam sugere incipiunt, non verò antè, ne apprehendere recusent. Dum sugunt, sæpè digitis modestè pertractandæ, & quasi mulgendæ, ut sanguis eò melius transire possit, ne repleantur, & ita decidant. Si verò repleta hirudo decidat, nondum tamen satis sanguinis exsuctum, alia substitui potest, & ita continuari, usque dum sufficiens quantitas sanguinis emanarit. Plures etiam simul apponi poterunt, sicque operatio citius terminabitur. Non vero semper opus est, ut caudæ earum amputentur, si enim vasis majoribus aut eminentioribus, v. gr. hæmorrhoidibus, jugularibus, aut brachii pedumque vasis majoribus applicentur, morfu ea sic aperiunt, ut post earum casum sanguis è vulnere fluat, ut si tandem satis illius effusum, emplasticis, aut linteolis aceto madefactis sisti debeat. Sanguis autem dum fluit, vulnus fovendum erit spongiâ calidâ, ne refrigeretur, sed hæc in *consequentibus*.

Itaque si sufficiens exsuctus fuerit, nec decidere velint sanguisugæ, non vi abripiendæ sunt, ne affixa relinquunt capita, & causam dent vulnerum insanabilium, imo mortis, sicut *Plinius* refert factum *Messalino*, viro Romano, è patritiis consularibus, cum eas ad genua admisisset, & violenter avulsisset. Sed aspergitur iis parum salis aut cineris calidi, aut setæ combustæ, aut lini, aut spongiæ, aut lanæ crematæ, imò aloës tritæ, aut irrigantur aceto, & statim decident. Refert *Gesnerus*, se audivisse, posse removeri quoque pilo equino inter os sanguisugæ & cutem districto, sed modus hic minus placet.

Hirudines verò postquam ceciderunt plenæ, indi rursus queunt aquæ puriori, ut sanguinem revomant, & imposterum ad usum rursus adhiberi aptæ sint; vel potest primò explorari, quantum hirudo ante applicationem pendeat, & hinc sponte.

sponte delapsa vel integra iterum pendi, vel, si disrupta, id quod cineribus calidis inspersis sæpè fit, potest etiam sanguis extractus ponderari, & simul præter propter judicari, quantum postea etiam cruoris effluxerit. E vulnere autem quando per tempus adhuc fluere permittimus sanguinem, locum interim aquâ mediocriter calidâ fovemus, ne frigeat.

Antiqui putabant, optimum esse, si loco demorso cucurbitula imponatur, & de sanguine loci parum detrahatur, ad plagæ malignitatem corrigendam. Et Galenus vulnus spongiâ aqua salsa vel aceto mundare imperat, ut virulentia, quæ remanserit tollatur. Possit pro majori securitate locus vulneratus aquâ salsa vel acetata, aut aceto elui, aut quod melius, abluï cum vino, addito puzillo Theriacæ.

Si verò sanguis nimium profluat, nec sisti possit, ut non rarò contingit, jubet *River. Prax. l. 12. c. 5. p. 401.* sistere eum luto, aut carbonis pulvere, aut aranearum telis, aut pulveribus adstringentibus, albo ovi & stupis exceptis, addi & possunt pili leporini.

Additamenti loco subjungemus remedia, si hirudines per errorem intra corpus inductæ fuerint. Sic aliquando fieri solet, ut cum potu aquæ talis assumatur, quale exemplum recenset *Borellus hist. & Obs. rarior. medic. physic. 24. cent. 1. p. 34.* de quodam, cui hæmoptois, ab hirudine insciè deglutita exorta fuit, quique omnibus frustra adhibitis, tandem cum iter facturum equum ferocem conscendisset, tanta tussi correptus fuit, ut ejus violentia hirudinem vivam foras egerit, indeque non amplius hæmoptoidem passus sit. Notum hoc fuisse videmus divino nostro seni *Hippocrati*, unde dicit: si cuidam fauces implentur sanguine, sæpè, singulis diebus ac noctibus, cui nec caput antea doluit, & qui neque tussim habuit, neque vomuit, neque febre correptus fuit, neque dolorem habuit nec pectoris, nec dorsi, hujus considerandæ sunt nares & fauces, an ulcus aliquod habere compareat in hoc loco, aut hirudinem. *River. cent. 4. observ. 26.*

de



de rustico idem experto, ait, quod ipse lateribus stomachi  
 hirudo infixâ continuam sanguinis vomitum induxerit. Loca  
 parallela apud alios invenies. Gesnerus tunc commendat  
 aut muriam, aut betæ folia cum aceto bibi posse, aut nitrum  
 ex aqua gargarizari, aut atramentum sutorium aceto dilutum.  
 Sæpe numero etiam cum excrementis deferuntur, inde opus  
 erit commodum cibum & potum exhibere; proderit iti-  
 dem ruta cum aceto, vel solum butyrum. Dari quoque  
 potest sal cum aceto: Ita *Ettmüller. de morb. human. corp.*  
*c. 7. p. m. 125.* dicit ab hirudine naribus adhibitâ, ut fieri solet  
 in Galliâ, in gulam repente, crudelem introductam fuisse,  
 circa orificium stomachi sinistram cardialgiam, quæ curata  
 fuerit aquâ salitâ propinatâ.

Assumere itidem proderit Theriacam, *Essent. castor. spirit.*  
*theriac.* &c. Si que virus habuisse observentur, alexipharmaca,  
 & post hæc traumatica. Ac si eveniat, ut ex incuriâ, ano  
 applicatæ, ingrediantur intestinum rectum, & gravia inferant  
 symptomata, exulcerationes intestinorum &c. elici poterunt  
 clysteribus ex aquâ salitâ.


His omnibus & aliis circumstantiis, practici iudicio re-  
 linquendis, ritè observatis, in quolibet morbo, aliis medi-  
 camentis convenientibus simul adhibitis, summa & maxima  
 semper hirudinum erit utilitas.


Et hæc pauca sunt loco speciminis Inauguralis. Ro-  
 gamus verò Te B. L. ut cuncta in bonam interpreteris partem,  
 si que non omnia dicta fuerint, cogites, nos dissertationem,  
 de hirudinibus, non integrum tractatum scribere  
 voluisse. Interim sit

S. D. G. I. Æ.

(0)













91 A 6560


ULB Halle 3  
001 853 198



56.

1377





40.  
41

I. N. S. S. T.  
DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICO-CHIRURGICA

DE  
**HIRVDINIBVS,**

*Quam*  
Jussu & Autoritate Illustris Facultatis  
Medicæ in almâ Salanâ,  
PRÆSIDE

**RVDOLFO WILHELMO  
CRAVSIO,**

Heredit. in *Mellingen* / Philosoph. & Medic. Doct. Practic. & Chimiæ  
Profess. Publ. longè celeberrimo, Collegii Medici SENIORE  
gravissimo, & S. R. J. Academ. N. C. Collega primario,  
PATRONO, PRÆCEPTORE, ET PROMOTORE SVO  
SVBMISSE DEVENERANDO,

**PRO LICENTIA**

Summos in arte Medicâ honores, Insignia, atque  
Privilegia Doctoralia, MORE MAIORVM legitimè impetrandi,  
publico examini sistit

**IOHANNES LEOPOLDVS** *Samper*/  
Vratisl. Siles.

IN AUDITORIO MAIORI

*Horis ante- & pomeridianis*  
Ad diem Junii. M. DC. XCV.

—  
IENÆ, Literis MULLERIANIS.

